



# Sammelband og

Index locorum in hoc volumine  
explicatum.

- nr. 29 Pj. LXXXIV.  
4. Math. II. 17. 18.  
38 Luc. I. 78.  
10 Act. XIII. 32. 33.  
20 Eph. V. 29.  
18 Col. I. 34.  
11 Col. II. 14. 15.  
23 Cor. XIII. 2.  
36 1 Petr. III. 18.  
38 2 Petr. I. 19.  
6 Jud. 9.  
38 Apoc. XXII. 16.

29

28

ACADEMIA IULIA CAROLINA  
PRORECTOR  
PROFESSOR  
FESTVM  
SPIRITVS SANCTI  
PIE CELEBRANDVM  
INDICIT  
ET SIMVL  
HISTORIAM  
ECCLESIAE CHRISTI  
QVINQVAGESIMALEM  
NARRAT  
ACADEMIA IULIA CAROLINA  
A. R. S. CICICCLX.

---

HELMSTADII

LITERIS SCHNORRIANIS.



ACADEMIAE IULIAE CAROLINAE  
PRORECTOR  
**IOANNES ERNESTVS SCHVBERT**  
VNA CVM SENATV

S. P. D.

CIVIBVS ACADEMICIS.

**C**risto in cruce extinto multi erant tum Hierosolymis tum in universa Palaestina, qui ipsius doctrinac adhaerebant, eumque magna illum Prophetam, olim promissum, et nunc a DEo missum esse credebant. Ipse enim Euangelium in Iudea, Galilaea et Samaria praedicaverat, et quamquam a plerisque impugnaretur, suo tamen fructu in multis non carebat. Praerer XII Apostolos LXX habebat discipulos, qui iam ante Christi mortem munere docendi aliquamdiu functi erant. Luc. X. i. seqq. Horum omnium ministerio numerum discipulorum suorum augebat, quem ipse doctrina rebusque gestis collegerat, et qui multitudinem hominum a Ioanne baptizatorum multum superabat. Io. IV. 1. 2. Erant ex omni genere homines, quos aut beneficiis sibi obstrinxerat, aut doctrinae et missionis suae divinitatis certiores reddiderat. Atque hi omnes fidem minime abiiciebant, cum viderent, Iesum ab hostibus suis oppressum esse. Multi eum diligere, sanctitatem

A 2

tem

tem vitae eius venerari, et doctrinam pio corde servare pergebant. Itaque morte Christi illius ecclesia non extinguebatur. Perdurabat omnino. Confirmabatur resurrectione eius, brevi secuta. Augebatur denique, et longe gloriosior apparebat, Spiritu Sancto super Apostolos effuso. Quid vero illi a resurrectione Christi usque ad miraculosam illam divinorum donorum largitionem acciderit, nunc paucis narrabimus.

Nemo discipulorum Christi, quantum scimus, resurrectionem eius expectabat. Io. XX. 9. Omnes enim fascinati erant opinione iudaica, Messiam regem terrenum esse oportere. Cum ergo crederent, Iesum Nazarenum hunc fuisset Messiam, eum autem Iudeorum malitia interficere esse viderent, sine dubio putabant, Iesum quidem opus, ad quod missus fuisset, strenue aggressum esse, sumam quoque divinam missionem sapientissima doctrina et stupendis miraculis demonstrasse, et sic animos disponere et praeparare voluisse ad regni israelitici restorationem, quam intendisset, sed inexpugnabili hostium suorum odio et malignitate impeditum esse, quominus opus coeptum efficere et absolvere potuerit, ideoque Israe lis redemtionem non amplius sperandam esse. Luc. XXIV. 19. 20. 21. Act. I. 6. Tristem-hunc rerum exitum non minus, quam amici, doctoris, et benefactoris fata acerbe lugebant omnes, cum nonnullae mulieres piae, ex Galilaea Iesum comitatae, tertia post mortem die summo mane procederent ad sepulchrum, ut corpus Christi exanime aromatibus, quae paraverant, ungerent. Math. XXVIII. 1. Marc. XVI. 1. Luc. XXIV. 1. Io. XX. 1. coll. Luc. XXIII. 55. Ignorabant istae, sepulchrum a Iudeis traditum fusisse militibus romanis, ut caverent, ne quis discipulorum Christi ad illud accederet, et defunctum corpus forte de por-

portaret. Sola ergo difficultas illarum animos affligebat, vires sibi defuturas esse, saxum movendi, quod ante ostium sepulchri collocatum, magnaevque molis esse norant. Quanta vero consternatione perturbabantur, cum prius accedentes viderent, saxum iam esse avolutum! Marc. XVI. 3. 4. Luc. XXIV. 2. Io. XX. 1. Prima, quae rem minime speratam videbat, erat Maria Magdalena. Nam socias in via reliquerat, et praecurrens citius venerat ad sepulchrum. Viso igitur faxo amoto, et corpore Christi non reperto in sepulchro, perterrita confessim abit, rem tanti momenti Petro et Ioanni annuntiatura. Io. XX. 2. Paulo post et reliquae mulieres, quibus Maria Magdalena recurrens obviavam non facta fuerat, accedunt, pariterque sepulchrum vident apertum. Marc. XVI. 4. Quibus regressis aliae adveniunt mulieres, priorum fortassis socias in via, sed tardius procedentes, aut etiam separatam societatem constituentes, eiusdem tamen cum prioribus pietatis et intentionis. Luc. XXIV. 1. 2. Hae dum sepulchro adsunt, similiter spectant, quod reliquae magno cum stupore viderant. Denique Petrus et Ioannes, auditis iis, quae Maria Magdalena narraverat, sine mora currunt ad sepulchrum, illud ingrediuntur, linteum et sudarium, quod super Christi capite fuerat, seorsim involutum vident, et sic rei narratae oculati sunt testes. Io. XX. 3. seqq.

Hoc phoenomeno excitati cum essent discipulorum animi, ut aliquid extraordinarii praesumerent, et quid hoc rei esset, scire cuperent, ecce, resurrectio Christi ab Angelis annuntiatur. Mulieres, quae prius advenerant, sepulchrum ingredi audebant, videbantque unum spirituum caelestium. Audiunt, adesse nunc diem tertiam, qua Christus resurgere voluisset, hoc ipsum, quod

A 3

nec

nec intelligere nec credere potuissent, vere factum esse, atque huius rei veritatem ex sudario et linteis, quae videbant, satis patere. Iubentur praeterea ad Apostolos abi-  
re, illisque rem tanto gaudio et solatio plenam annuncia-  
re. Marth. XXVIII. 5. 6. 7. Similis apparitio contingebat mulieribus, quae post priorum dicessum ad sepulchrum accedebant. Videbant enim duos angelos, qui pariter resurrectionem Christi praedicabant, illisque huius rei praedictionem in memoriam revocabant. Luc. XXIV. 4. 5.  
6. 7. Haec dum eveniunt amicis Christi, tota Hiero-  
lyma terretur stupendis rebus, quae a custodibus ante se-  
pulchrum collocatis narrantur. Illis enim excubias adhuc agentibus, et nihil tale cogitantibus, terra repente move-  
batur, angelus, cuius species instar fulguris erat, de caelo descendebat, et lapidem ab ostio sepulchri amoebat. His rebus visis territi custodes in fugam dantur, et, quid sibi acciderit, sacerdotibus Iudeorum narrant, qui, ob-  
lata pecunia, mifires movebant, ut, se dormientibus fo-  
res sepulchri effractas, et corpus Christi a discipulis suis surreptum esse, dicerent. Matth. XXVIII. 2 3 4. n. seqq. Terrible hoc spectaculum ignorabant mulieres, cum ad sepulchrum venirent. Ignorabant etiam Apoftoli, cum audirent, sepulchrum apertum et vacuum ab illis inventum esse. Colloquentibus autem et quaerentibus se invi-  
cem, quid hoc sibi veller, fama, quae pontifices cives-  
que hierosolymitanos tantopere perturbabat, ad ipsos quoque perferebatur. Comperint hac occasione, sepul-  
chrum a militibus custoditum fuisse. Vident pontifices populi atronitos, totamque urbem consternatione percul-  
tam. Audiunt, quid obtendant sacerdotes, ut custodum fuga excusetur. Haec omnia nunc comparant cum iis,  
quae ipsi vidissent, quae a mulieribus audivissent, et quae Christus de se ipso olim praedixisset. Certa aut mini-  
mum

mum valde probabilis opinio inde nasci poterat, Christum a mortuis vere resuscitatum esse. Sed maius erat, quo laborabant, praetudicium, quam ut tale quid prae-sumere auderent. Interea tamen animi discipulorum ita nunc erant praeparati, ut, si forte Dominum suum vide-rent, nullam metuerent fraudem, sed de ipsis resurrectione certissime convincerentur. Hinc et optimus Salvator visibilem suam praesentiam et apparitionem diutius differre solebat.

OCTO huius generis Christi resuscitati apparitiones ab Euangelistis narrantur. PRIMA ipso resurrectionis die contingebat Mariae Magdalene, postquam, visis Apostolis, ad sepulchrum redierat; Marc. XVI. 9. Io. XX. 11. seqq. SECUNDA mulieribus, quae post illam advenerant, et iam revertebantur, quae vidissent et audivissent, Apostolis annuntiaturae; Matth. XXVIII. 8. 9. 10. TERTIA duobus discipulis, eodem die in vicum Emmaus proficiscen-tibus; Marc. XVI. 12. Luc. XXIV. 13. seqq. QVARTA circa vesperam eiusdem diei Apostolis, qui omnes, ex-cepto Thoma, congregati erant; Marc. XVI. 14. Luc. XXIV. 36. seqq. Io. XX. 19. seqq. QVINTA post octi-duum rursus Apostolis, praesente Thoma; Io. XX. 26. seqq. SEXTA septem discipulorum suorum apud lacum Tiberiadis; Io. XXI. 1. seqq. SEPTIMA omnibus Apostolis in Galilaea, quorūsum eos abire iussérat, ut de munere sibi tradendo instruerentur; Matth. XXVIII. 16. seqq. Marc. XVI. 15. seqq. OCTAVA denique iisdem Aposto-lis quadragesimo post resurrectionem die in monte Oli-veti, cum illis valediceret benedicaretque, et ad caelum ascenderet. Luc. XXIV. 50. 51. Act. 1. 6. seqq.

Plu-

## VIII

Pluries vero Christum amicis et discipulis suis apparuisse, iis quoque, quorum nulla sit mentio in historia Euangelistarum, omni caret dubio. Nam Ioannes, enarratis quibusdam apparitionibus, disertis verbis testatur, Christum multa alia signa coram discipulis suis edidisse, quae non scripta essent in hoc libro. Io. XX. 30. Nonnullae etiam apparitiones a Paulo commemorantur, i. Cor. XV. 5. 6. 7. de quibus nihil extat in scriptis Euangelistarum. Inprimis Christum a Matre sua aliquoties vistum esse, non dubitamus, licet nihil huius rei nobis revelari voluerit divina sapientia. Sed nemo impiorum, qui Dominum gloriae crucifixerant, eum vidit, ut Petrus aperte testatur, Act. X. 41. et ipse Redemptor noster praedixerat. Matth. XXIII. 39. Cum enim illi Christum et doctrinam eius non ex infirmitate, neque ex argumentorum defectu, sed ex mera et pertinaci malitia reiicerent, nec ullis demonstrationibus, ne quidem miraculis, omni exceptione maioribus, fleti se paterentur, apparitiones istae, quas forte hostes Christi expectare aut postulare potuissent, nullam praefiturae fuissent utilitatem, illis potius novam cavillandi et blasphemandi praebuissent occasionem, et ipsam resurrectionem posteritati dubiam reddidissent. Ergo satius erat, extare phoenomena, quae ab ipsis hostibus negari haud poterant, quibusque existentibus sana ratio quemque evidentissime docebat, et adhuc docere potest, verum esse testimonium, quod Apostoli de resurrectione Christi, et apparitionibus sibi factis perhiberent.

Toto hoc tempore, quo Christus discipulis suis apparebat, illorum fidem confirmabat, se a mortuis vere resurrexisse, et promissum Messiam esse, doctrinam olim traditam ipsis in memoriam revocat, quae hactenus  
in-

intelligere non poterant, exponit, Scripturam Vet. Test interpretatur, illiusque vaticinia in se impleta esse demonstrat, pacem, Spiritum Sanctum, et benedictionem illis impertitur, publicos gentium doctores eos constituit, et amplissima Sp. S. dona, quorum effusionem Hierosolymis expectare deberent, promittit. Luc. XXIV. 44. seqq. Io. XX. 21. seqq. Matth. XXVIII. 18. seqq. Marc. XVI. 14. seqq. Act. I. 8. Hac ratione ecclesia, quam ipse Christus in terris immediate collegerat, in fide confirmabatur, nullis autem novis accessionibus augebatur. Ipse enim solos fideles suos conveniebat, et Apostoli Euangelium non prius praedicare coeperunt, quam super eos effusus erat Spiritus Sanctus. Tanto arctiori vinculo fidei et charitatis uniebantur priora ecclesiae membra. Conveniebant nimirum singulis diebus, statim temporibus templum adibant, ut precarentur, aliquis pietatis exercitiis studebant, coetusque privatos frequentissime agebant, ut de apparitionibus Christi colloquerentur, sermones eius secum invicem communicarent, repeterentque, DEum pro tanto beneficio collaudarent, siamque fidem, spem, ac pietatem corroborarent. Luc. XXIV. 53. Act. I. 13. 14. Haec equidem praeципue valent de Apostolis et aliis fidelibus, qui Hierosolymis fedem sibi fixerant, et quorum numerus ad centum et viginti assurgebat. Act. I. 15. Sed non improbabile est, et alios Christi discipulos, qui in universa Palaestina dispersi erant, ad simile pietatis studium convenisse. Nam ad hos quoque fama de resurrectione Christi perferebatur. Multi, qui huius rei certiores fieri cupiebant, sine dubio Hierosolymas migrabant. Aliis ipse Christus extra urbem primariam app. rebat. Nam plus quam quingenti fratres eum aliquando simul viderant. Cor. XV. 6. Qui Christum non viderant, convenire studebant eos, quibus apparuerat, et hi vicissim illos,

B

ut

ut de resurrectione Christi et variis illius manifestationibus pia colloquia instituerent. In his autem coetibus nulla liturgia, nullus sacerorum ordo servabatur. Erant enim conventus privati, qui ideo frequentabantur, ut aliquid novi de Christi resurrectione, apparitionibus, et sermonibus audiretur. Et quae praedicabantur vel ab Apostolis, vel ab aliis, plium totius societatis affectum excitabant, ut nomen DEI uno ore omnes celebrarent. Ceterum autem publicis sacris in templo hierosolymitano et Synagogis interesse pergebant.

Nulla quoque externa persecutio ecclesiam hoc tempore affligebat. Sacerdotes quidem et Seniores Iudeorum obtendebant, corpus Christi a discipulis noctu dormientibus custodibus surreptum esse. Quod delictum si probari potuisset sine dubio fatis grave fuisset, et amicos Christi capititis reos reddidisset. Et sane non parum intererat, ut Iudei huic criminationi aliquam veri speciem conciliarent. Itaque Apostolos in ius vocari oportuisset, ut furti, quod illis publice imputabatur, rationem rediderent. Carceribus includendi et puniendi fuissent. Auri mitius cum illis agere voluissent, saltem inquirendum fuisset, quorsum deportatum esset corpus Christi, ab Apostolis, ut dicebatur, furtim ablatum. Sed nihil horum a Iudeis tentatum esse legimus. Apostoli summa pace fruebantur, et post aliquod tempus per famam demum experiebantur, quale crimen sibi fuerit imputatum. Huius quietis causa esse non poterat ignorantia Iudeorum, ubi discipuli Christi laterent. Nam in conspectu totius populi ambulabant, templum quotidie frequabant; et numerosos coetus in aedibus privatis agebant. Ergo propria conscientia adeo compuncti fuisse videntur, ut nihil contra Apostolos tentare auderent. Terror et

con-

confernatio illorum animos ita occupaverat, ut causae  
suae prorsus dissidentes valde metuerent, ne quis de  
furto isto, quod e vestigio praetexerant, disputaret.  
Tantum aberat, ut iphi quaestionem hanc in iudicio  
movere voluissent. Forte etiam sperabant, fore, ut,  
quicquid Christo crucifixo acciderit, facilis oblivione  
deleatur, si racerent, quam si rem omnem Apostolis  
item intendendo magis magisque divulgarent. Per has  
igitur causas, quas ex parte humana prudentia suadebat,  
Apostolis secure vivere licebat, conspectu et familiaritate  
Christi resuscitati frui, sapientissimis eius praecepsis  
instrui, et sic ad futurum munus praeparari. Et hac in  
re singularis prorsus conspicua est Redemptoris nostri  
providentia, quae Apostolos non prius affligi permitte-  
bat, quam iphi in fide satis confirmati, donisque Spi-  
ritus Sancti extraordinariis armati essent.

*Inter haec gaudia, quae ex resurrectione et visibili  
eius praesentia capiebant Apostoli, et continuam spem,  
nova fruendi apparitione et familiaritate, dies post  
resurrectionem quadragesimus appropinquabat, quo Red-  
emptor mundi caelum petere, et de hostibus gloriose  
victis triumphum agere volebat. Congregabantur ergo  
discipuli, ex Galilaea Hierosolymas reduces facti, Be-  
thaniae, in monte Oliveti, ubi Christus, expansis mani-  
bus, largissimam DEi gratiam illis appreciabatur, et sic  
in caelum ascendebat, unde redditurus est aliquando, ad  
iudicandum vivos et mortuos. Marc. XVI. 19. Luc.  
XXIV. 50. Act. I. 9. Locus, quorsum abbat, voca-  
tur caelum, quod sine dubio est felicissima illa regio, in  
qua externa et ineffabilia gloriae invisibilis DEi praes-  
entiae symbola extant, caelestes Spiritus creatorem  
suum adorant, et beatae animae visione DEi et adspectu  
• B 2 Sal*

Salvatoris sui fruuntur, et fruiturae sunt in aeternum. Appellatur alias caelum tertium, paradisus, 2. Cor. XII. 2. 4. nova et caelestis Hierosolyma, Apoc. XXI. 2. de qua multum iam disputari posset, nisi a scopo nostro nimis esset remotum. Discudebat autem Christus praesentibus et videntibus discipulis. Ne repente et veluti ex instanti illorum oculis subductus esse videtur, sed successive. Ita namque tollebatur in altum, ut videbant eum, quamdui oculorum acies et corporum distan-  
tia permittebant. Tandem nube tegebatur, et ingens sui desiderium relinquebat. Act. I. 9. 10. Sic enim eum abire oportebat, ut, qui eius resurrectionem et gloriam praedicare, et hoc testimonium sanguine suo signare debebant, certo scirent, quorsum abierit, scilicet ad Patrem suum in caelis, a quo missus erat in mundum, ut humanum genus redimeret. Interea discessus ille praeter expectationem Apostolorum accidisse videtur. Nam oculis in caelo desfixis subsistunt, quasi redditum ipsius expectarent. Itaque ne eum frustra expectare pergerent, nec nimio moerore corriperentur, e vestigio adsunt duo angeli, qui primum stuporem in illis, summa tamen cum humanitate, reprehendunt, tum vero annunciant Iesum, cuius ascensionem vidissent, non redditum esse, nisi die extremo. Act. I. 11. Haec caelestium nunciorum vox in memoriam illis revocabat omnia, quae Christus olim de suo ad Patrem reditu docuerat. Recordabantur simul promissionum, quarum complementum Hierosolymis expectare deberent. Magnum igitur gaudium illorum animos occupabat, ipsi Dominum Iesum adorant, et Hierosolymas revertuntur. Luc. XXIV. 52. Act. I. 12.

Regressi in urbem convocant coetum fidelium, qui Hierosolymis erant, illisque narrant, quae vidissent et audivissent. Hi gaudio et solatio pleni una voce Domini num

num collaudant, et se invicem hortantur, ut ad preces et commune pietatis exercitum quotidie convenirent, et quae Christus praecepisset, sancte servarent. Act. I. 13, 14. Locus, ubi haec gerebantur, a Luca dicitur ἐπεξεργάσεων, qua voce non intelligimus aliquod conclave Templi, sed domus cuiusdam privatae partem superiorem. Habebant enim Iudei in aedibus suis oratoria, in superiore illarum parte extracta. Huius generis domus, quae oratorium habebat, sine dubio habitabatur ab aliquo fidelium, ubi mox post mortem et resurrectionem Christi illius discipuli congregari coeperant. Illuc igitur tendebant Apostoli, et a coetu convocato decernitur, ut ibidem quotidie convenirent. Nec improbabilis est opinio, hanc domum fuisse Mariae, matris Ioannis Marci, in qua Ecclesiam plerumque congregatam fuisse, ex Act. XII. 12. colligimus. Quamquam autem privati isti fidelium conventus quotidie agebantur, nihil tamen minus singulis diebus templum adibant, ne privato cultu publicum abolendum esse, quisquam existimaret.

Inter haec privata pietatis exercitia recordabatur Petrus, duodecim virae comites ac testes Christum ab initio sibi elegisse. Concludebat inde, hunc numerum in primis iphi placuisse, ideoque haud immerito supplendum esse, postquam Judas turpissima proditione munere hoc se indignum reddidisset, et vitam laqueo misere finisset. Recte autem iudicabat, pro Iuda substituendum esse virum, qui ab initio cum Christo fuisse, omnesque res gestas et sermones Christi vidisset et audivisset. Huic ergo sententiae cum tota ecclesia assentiretur, duo electi sunt viri, Iosephus Barsabas et Matthias, qui doctrina et pietate reliquos superare videbantur, et Christum ubique comitati fuerant. Sed uter praferendus esset, ipsi defini-

nire non audiebant. Vtiusque enim virtutes aequales esse videbantur, et in re tanti momenti de voluntate DEi dubitare nolebant. Cum ergo constaret, DEum voluntatem suam ante haec tempora forte nonnunquam significasse, idem hoc medium et nunc adhibendnm esse censebant. Quare, invocato nomine divino, sors coniiciabantur, quam summa DEi providentia ita gubernabat, ut Matthias in numerum Apostolorum cooptareretur.

Quoto ab ascensione die hoc factum sit, non legimus. Nec constat, quid praeterea ante vel post hanc electionem gestum sit in Ecclesia. Probabile tamen est, praeter quotidianas preces et mutuas institutiones ac adhortationes nihil accidisse, quod commemorari potuisse. His autem studiis et exercitiis ideo vacabant primi christiani, tum ut DEum pia mente colerent, tum ut incrementa cognitionis Christi caperent, tum denique ut Spiritum Sanctum, cuius effusionem Hierosolymis expectare iussi erant, inter preces et sanctas meditationes acciperent. Norant enim, dona a Christo promissa haud diu post eius ascensionem sibi collatum iri. Act. I. 5. Hinc perutile sibi et universae ecclesiae fore putabant, si in medio coetu sacro preantes et DEo servientes donis istis instruerentur. Er quod forte sperabant et optabant, illis etiam contingebat. Nam decimo post ascensionem Christi die, cum ecclesia congregara esset, implebatur Domini promissio, et Spiritus Sanctus super Apostolos effundebatur. Act. II. 1. seqq.

Huius rei memoriam universa Christi ecclesia hisce diebus celebrabit, ad quam solemnitatem sacram ut et vos, cives optimi, rite præparemus, brevem illius temporis historiam, quo effusio Sp. S. expectabatur, recitare, quam

quam aliud argumentum, quod multiplici eruditio nis appa-  
ratu exornari potuisset, tractare maluimus. Multum e-  
nim utilitatis haec habet narratio, nec parum inservit san-  
ctificandis mentibus, quae ingens hoc beneficium non so-  
lis Apostolis, sed simul universae ecclesiae exhibitum, di-  
gne meditari volunt. Nam primum veritatem magni hu-  
ius miraculi testatur. Constat inter omnes, eo ipso tempo-  
re, quo Sp. S. super Apostolos effusus esse creditur, eos Ev-  
angelium de regno DEi tanta sapientia, virtute, et confi-  
dentialia praedicare coepisse, ut illorum doctrina nullis arti-  
bus, nullis persecutionibus, nullis suppliciorum generibus  
impediri posset. Quales vero hi erant homines, antequam  
hoc munere fungi incipiebant? Homines erant valde me-  
ticulosi et simplices, quorum animus minima periculorum  
specie frangebatur, qui nihil minus quam resurrectionem  
Christi credebant aut sperabant, qui praeterea magna men-  
tis infirmitate multisque praeiudiciis laborabant, et nomen  
suum ne quidem inter Christi discipulos publice profiteri  
audebant. Vnde igitur tanta sapientia? Vnde illud animi  
robur? Vnde tam inexpugnabilis mysteriorum certitudo?  
Haec mutatio si absque singulari prorsus et extraordinaria  
Numinis virtute illis contigisset, ad quid tandem opus erit  
divina potentia? Eadem historia summam et admirabilem  
DEi sapientiam praedicat, qua usus est in praeparandis A-  
postolis, ut dona Sp. S. super eos effundenda recipere pos-  
sent. Docendi erant, quaenam esset ratio mysteriorum fi-  
dei, et viribus instruendi, ea et tradendi aliis, et inter ex-  
tremas calamitates omniaque periculorum genera intrepide  
de profitendi. At cum Christus in cruce spiritum emitte-  
ret, Apostoli parum aut fere nihil horum mysteriorum ca-  
piebant, suis impediti praeiudiciis, nullam resurrectionis  
eius, promissionem, quas acceperant, et instauracionis re-  
gni spiritualis spem habebant, nullo etiam animi robore

in

## XVI

in profitenda doctrina Christi gaudebant. Itaque ne ab uno extremo ad alterum immediate transirent, per varios gradus successive illuminabantur, antequam virtutum donorumque participes siebant, quibus ad munus suum opus habebant. Eundem ordinem et in regenerandis ac sanctificandis mentibus divina servat sapientia. Nemo mortalium ex statu naturali in statum gratiae uno veluti actu transponitur. Emendantur homines successive, omniumque et circumstantiarum et occasionum habenda est ratio, quibus ad impugnandas aut intellectus tenebras, aut voluntatis propensiones malas salutariter uti possint. Denique ex hac historia discimus, quanta sit Domini longanimitas et mansuetudo, qua suorum infirmitates tolerat. Quae omnium optima videbantur, media adhibebat, ad vincendam discipulorum incredulitatem, suamque resurrectionem illis demonstrandam. Et cum eos multis adhuc praeiudiciis laborare videret, non increpabat eos, nec opiniones, quae altas radices egerant, violenta quasi manu eripiebat, sed potius ad ampliorem Sp. S. illuminationem, quam largitus esset, eos remittebat. Eadem patientia et benignitate nostras fert infirmitates. Non statim deserit simplices et dubitantes; Non subtrahit gratiam reluctantibus; Non eundem semper modum, ordinem, et gradum suarum operationum servat. Sed mensuram gratiae auger, modum agendi mutat, temporis et circumstantiarum rationem habet, et tandem opus suum perficit, nisi pertinax cordis malitia impedimentum interponat. Haec omnia si consideretis, CIVES OPTIMI, non tantum dona et operationes Sp. S. rectius intelligetis, sed etiam, quod vehementer optamus, in cordibus Vestris futuri cum fructu experiemini. P. P. in Academia Iulia Carolina. D. XXIV. Mai,

CIO 13 CC LX.



153883  
X 2286633 ✓

ULB Halle  
007 138 997

3




ND 18

R



B.I.G.

Black



29  
28

FESTVM  
S P I R I T V S S A N C T I  
PIE CELEBRANDVM  
INDICIT  
E T S I M V L  
HISTORIAM  
E C C L E S I A E C H R I S T I  
Q V I N Q V A G E S I M A L E M  
NARRAT  
A C A D E M I A I U L I A C A R O L I N A  
A. R. S. C I C I C C L X.

---

HELMSTADII  
LITERIS SCHNORRIANIS.